

relinquit, sed omnium rerum abundantia cumulat? Et quidem si hæc Dei vestri oblivio & negligentia per decem solum, aut viginti, aut etiam triginta annorum spatium protenderetur, non adeo mirum esset; vicina enim salutis spe sustentaremini: sed quum jam trecenti pæne anni exacti fuerint, in quibus hæc tam dira clades perseverat, quæ & vitas & fortunas vestras sine ulla intermissione devastat; quid aliud consequentibus annis sperare poteritis, quam quod tam longo spatio hæcenus experti estis?

Hæc plane Gentiles dicere poterant, quibus fidem nostram labefactari posse credebant. Quomodo igitur hi duo potentissimi arietes, quibus humanum pectus quatiebatur, quum ex altera parte tam immania tormentorum genera sanctorum vitam peterent; ex altera hæc Gentilium ratiocinatio, & tam longa tot annorum persecutio, eorum fidem atque constantiam lacefferet; quomodo, inquam, hæc ipsa sanctorum fidem non everterent, nisi innumera quotidie miracula cernerent, quibus non modo alias, sed in ipsis etiam suis agonibus & certaminibus ab imperatore suo Christo mirifice

confirmarentur? Quoties enim feras adversus illos incitatas mansuefecit? quoties ignis vim atque violentiam exstinxit? quoties tortorum manus & brachia stupefecit? quoties ferventem adipem atque oleum in frigidum rorem commutavit? Denique pulcherrimum ac vere mirandum certamen inter sanctos martyres, & martyrum Dominum video intercessisse. Illi enim, ne Domini sui fidem violarent, vitæ suæ non parcebant: fidelis autem Dominus miris eos auxiliis atque favoribus, tum internis, tum externis, in ipsis suis agonibus confirmabat. Cujus rei quum innumera pæne in ecclesiasticis historiis exempla existant; unum ex tam multis, quod Eusebius Casariensis octavo ecclesiasticæ historiæ libro cap. 3. se non ab aliis accepisse, sed vidisse ait, pius concionator referre poterit: in quo aperte & martyrum fidem erga Dominum, & Domini rursus erga illos fidem & paternam providentiam cernere licebit.

Ex his ergo, quæ hæcenus diximus, cum alia multa, tum illud animadvertere poteritis, fratres, quanta adversus Dei servos mundi tempestas excitata fuerit, quantaque divinæ pro-

protectionis gratia erga illos effulserit, qua ecclesiæ fidem stabilivit. Utrumque autem regius propheta in spiritu prævidisse se ostendit, quum ait: (a) *elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam, elevaverunt flumina fluctus suos a vocibus aquarum multarum: mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.* His porro metaphoris vates sanctus horribilem mundi procellam, adversus ecclesiam concitatam, describit; de hac enim se loqui ostendit, quum protinus subdit: (b) *testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Quamvis enim mundus, infidelitatis spiritu ebrius, omnibus machinis Christi nomen extinguere, & fidem in eum funditus evertere conaretur: nihilominus tamen idem mundus, Dei virtute, & martyrum constantia superatus, sic ejus fidem amplexus est, ut qui antea propter idola Christum persequebantur, idola deinde propter Christum everterent & conculcarent. Ceterum quanta fuerit illa, quæ præcessit, tempestas, aquarum & fluctuum appellatione designavit. Aquarum enim nomine varias calamitates significari, ex illo ejusdem prophætæ versiculo colligimus:

(c) *salvum me fac Deus: quoniam intraverunt aqua usque ad animam meam.* Quum ergo vir sanctus & flumina, & fluctus, & voces aquarum multarum, & mirabiles maris elationes commemorat, atrocissimam mundi persecutionem adversus ecclesiam excitatam designat. Sed quamvis mirabiles magni maris hujus elationes atque fluctus extiterint; mirabilior tamen fuit in altis Dominus, qui (d) *statuit procellam ejus in auram, & siluerunt fluctus ejus:* & ita factum est, ut ejus testimonia nimis credibilia facta fuerint. Ipse enim (e) *imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.*

Pars posterior.

§. II.

Hoc igitur primum argumentum est, fratres, quo fidei nostræ veritas confirmatur. Quod enim Dominus hanc tantam mundi rabiem atque tempestatem sedaverit, quod mundus paternam avitamque religionem a toto pæne terrarum orbe receptam atque defensam repudiaverit, & pro ea verum hominem, fabri filium existimatum, & crucis supplicio affectum, verum atque omnipotentem Deum, cæli ac terræ

T 2

con-

(a) *Psalms. 92. 3. 4.* (b) *Ibid. v. 5.* (c) *Psalms. 68. 2.* (d) *Psalms. 106. 29.* (e) *Matth. 8. 26.*

conditorem & moderatorem esse crediderit; hoc plane nullo modo sine clarissimis miraculorum operibus fieri potuit. Verum non solum hoc firmissimo argumento, sed alio etiam, huic non admodum dissimili, quod intra se pii homines passim experiuntur, eadem veritas confirmatur: nempe, alterius intestinae tempestatis mirabili sedatione. Est enim duplex in hoc saeculo mare: alterum quidem externum, quod hactenus descripsimus; alterum internum, quod intra nos ipsos gestamus. In utroque autem gravissimae saepe tempestates & procellae excitantur, quae nisi divinae virtutis auxilio sedari non possunt. Quo fit, ut utriusque tempestatis sedatio, clarissima fidei nostrae confirmatio sit. Est enim intra nos, ut dixi, aliud quoque mare, augustius quidem illud, sed non minus procellosum; utpote a quo superior illa adversus Christi fidem tempestas orta est. Ille namque mundi furor & rabies, quae & Domini Salvatoris, & cultorum ejus vitam petebat, ab humani cordis procella derivata est. Ut enim Isaias ait: (a) *cor impij quasi mare fervens, quod quietare non potest.* Quod enim ma-

re, quod fretum, quem Euryppum tot motus, tantas, tam varias habere creditis agitationes, quot habent corda malorum? Tument enim superbia, furiant iracundia, aestuant avaritia, spumant libidine, fremunt invidia, agitantur variis cupiditatibus, mutantur assidue, modo pusillanimitatis spiritu contracti, modo ambitionis fluctibus elati, ac demum tot perturbationum motibus exagitati, quot incommoda rebus iis accidunt, quibus per amorem adglutinati sunt. In hoc autem infelici statu degunt, quicumque Deo, hoc est, tutissimo pacis & tranquillitatis portu, relicto, variis mundi curis & cupiditatibus implicantur. Ut enim D. Hieronymus ait: *quicumque a Domino recedunt, statim saeculi fluctibus quatuntur.* Hinc D. Gregorius: *qui, inquit, relicto Deo se sibi sufficere credit, nihil in se nisi tumultum perturbationum invenit; inventumque se fugere quaerit, & auctore contempto, quo se ipsum fugere valeat, non habet.*

Porro autem fluctus & flatus, quibus hoc mare exagitur, affectus nostri, & varia desideria sunt; quae quum vehementiora fuerint, transversos homines in

va-

varios perturbationum scopulos agunt, & sursum atque deorsum miscent. Quot enim mundi naufragia, quot generis humani clades ac mortes Alexandri Magni, Julii Caesaris, ceterorumque mundi principum avaritia, ambitio, & dominantis libido pepererunt? Quot quotidie in corde avari, libidinosi, cupidi, elati & irati, aestus & procellae excitantur? Itaque tempestates omnes atque turbines mundi, & omnia denique majoris mundi naufragia ex hoc interno mari derivantur. Si enim cor nostrum in pace & quiete ageret, totus utique orbis placidam in tranquillitate & otio vitam duceret.

Ceterum si per aditum verae poenitentiae, & piarum orationum studium Dominus intret in hoc mare, ibique requiescat, & mansionem faciat; hoc est, nos ipsos in se, qui omnium bonorum summa est, requiescere atque dormire faciat; dum eo solo contenti, nihil aliud quaerimus: tunc mens nostra, sublati terrenarum rerum cupiditatibus, adeo summo illo bono satiatur, ut eo refecta, nihil ultra quaerat, nihil sitiat, nihil sit, cujus cura & sollicitudine

Tom. III.

nimum tangatur: atque ita fit, ut in maxima pace & tranquillitate felicissimam vitam ducat. Quid enim ultra quaerat, quae jam in suo velut centro requiescit? quid ultra desideret, quae ad finem suum jam pervenit? quid ultra cupiat, quae in hoc summo bono, bonorum omnium plenitudinem complexa est. Neque enim falso aut pravo affectu dictum est: (a) *timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum. Divites egerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.* Quem locum sic Casiodorus interpretatur. (b) „ Quum „ diligimus Deum, omnia in „ ipso reperimus. Unus est qui „ quaeritur, sed in quo omnia „ continentur. O lucrum mirabile! o compendium singulare! re! cur nos per diversa fatigamus? Ad ipsum unanimiter festinemus, post quem „ cuncta bona ultra non quaerimus, sed tenemus. „ Hactenus ille. Cui non dissimile est illud Augustini, qui, illa Domini verba explanans: (c) *ego ero illorum Deus, & ipsi erunt populus meus*, sic ait: „ ego ero „ unde fatientur: ego ero quae „ cumque ab hominibus ho-

T 3

„ ne-

(a) Isai. 57. 20.

(a) Psalm. 33. 10. 11. (b) Casiodor. super Psalm. (c) 2. Corinth. 6. 16.

„neſte deſiderantur, & vita, &
 „ſalus, & victus, & copia, &
 „gloria, & honor, & pax, &
 „omnia bona. Sic enim & il-
 „lud recte intelligitur, quod
 „ait Apoſtolus: (a) *ut ſit Deus*
 „*omnia in omnibus.* „ Hæc-
 „nus ille.

Si ergo in hac etiam mortali
 vita amicis ſuis Deus omnia eſt,
 quid extra illum deſiderare
 queat, qui intra illum eſt? U-
 bi autem nihil eſt quod deſi-
 deres, nihil eſt quod vel ſpe-
 res, vel timeas, vel cujus gra-
 tia anxius atque ſollicitus eſſe
 debeas. Ubi enim noxia cupi-
 ditas ſopita eſt, ceteri quoque
 affectus, qui velut ſatellites e-
 jus exiſtunt, non habent cur
 te commovere aut exagitare
 poſſint. Quia enim vis animæ
 irascibilis læſa concupiſcentiæ
 vindex eſſe dicitur, ſublata con-
 cupiſcentia, non habet illa cur
 fremere & turbari velit. Ad
 hunc ergo modum ubi prudens
 mercator (b) pretioſiſſimam il-
 lam evangeliæ margaritam, diu
 & multum quaſitam, per ar-
 dentem caritatem invenit; hoc
 uno contentus, cetera omnia
 diſtrahit atque dividit: hoc
 eſt, cetera omnia tamquam lu-
 dicra & inania bona contemnit;
 atque ita terrenarum rerum a-

more ſublato, non habet, ut
 diximus, pars illa animæ ira-
 ſcentis, cur ſavire atque mi-
 ſcere omnia debeat. Hac igitur
 ratione in hoc interno cordis
 mari fit ope Dei tranquillitas
 magna. Qua de re ſic D. Gre-
 gorius: *quifquis in ſolo deſide-
 rio æternitatis figitur, nec pro-
 ſperitate attollitur, nec adverſi-
 tate quaſſatur: quia dum nihil
 habet in mundo quod appetat,
 nihil eſt in mundo quod pertime-
 ſcat.*

Hæc autem nova pax atque
 tranquillitas magnam & jucun-
 dam in corde pii hominis divi-
 næ virtutis & poteſtatis admi-
 rationem excitat. Quum enim is
 priora vanitatis & cæcitatæ ſuæ
 tempora ad memoriam revo-
 cat, & fluctus atque procellas
 cupiditatum, irarum, curarum,
 atque libidinum veterum reco-
 lit, ſequè modo in tanta animi
 pace & tranquillitate agere
 videt; non poteſt non vehemen-
 ter admirari, & cum propheta
 adverſus ſe ſtupens clamare: (c)
*quid eſt tibi mare quod fugiſti:
 & tu Jordanis, quia converſus
 es retrorſum?* Quod perinde eſt,
 ac ſi diceret: o cor meum,
 quod quaſi mare fremebas! o
 vos affectus & cupiditates meæ,
 quæ ingentes fluctus in hoc ma-

ri

(a) 1. Corintb. 15. 23. (b) Matth. 13. 45. ſeqq. (c) Pſalm. 113. 5.

ri excitabatis, quo abiſtiſti? quo
 fugiſti? quomodo me in pace
 tamdiu eſſe ſinitis, qui proſus
 viam pacis ignorabam? Vere (a)
*a facie Domini mota eſt terra,
 a facie Dei Jacob;* cujus numen
 & potentiam in hoc opere ado-
 ro, veneror & agnoſco: quam-
 vis ne his quidem argumentis
 ad ejus gratiam & amicitiam
 me perveniſſe affirmare au-
 deam.

Auguet autem admirationis
 magnitudinem, brevitatis tem-
 poris, quo hæc tanta mutatio
 ſingulari divini ſpiritus benefi-
 cio aliquando fit. Ajebat enim
 Plato, felices eos eſſe, quibus
 vel in ſenectute ſapientiam aſ-
 ſequi datum eſſet; quæ nulli,
 niſi in quiete & animi tran-
 quillitate, contingit. Anima e-
 nim quiſcendo ſapiens fieri
 dicitur. Videte, quantum tem-
 poris humana philoſophia exi-
 gebat, quo ſapientiam, & ſa-
 pientiæ comitem, tranquillita-
 tem, homines aſſequerentur;
 quam certe ne hoc ipſo tam
 longo ſpatio, quum Dei gratia
 deſtituti eſſent, aſſequi pote-
 rant. At frequenter in hoc in-
 terno mari unico Domini ver-
 bo fit tranquillitas magna. Ali-
 ter enim operatur Deus, aliter
 homo, aliter gratia, aliter na-

tura, etiam ſi cura juvetur.
 Non enim fruſtra Domini Sal-
 vatoris nomen eſſe dicitur, (b)
*velociter ſpolia detrahete, cito
 prædari;* niſi quia velociſſime
 in quibusdam virtus gratiæ,
 dum divini amoris dulcedine
 illos prævenit, omnia, quæ in
 mundo dulcia ſunt, contemne-
 re facit: atque ita ſedata con-
 cupiſcentia fit protinus in mari
 cordis tranquillitas magna. Sic
 D. Auguſtino contigit, qui ubi
 primum ad Dominum conver-
 ſus in benedictionibus dulcedi-
 nis præventus eſt, protinus
 ſpem omnem, quam habebat in
 ſæculo, dereliquit, & hanc in
 corde ſuo pacem & tranquilli-
 tatem reperit. Idem multis a-
 liis quotidie in eccleſia evenit,
 qui tota animi contentione ad
 Dominum convertuntur, quo-
 rum ipſe corda intra breve
 temporis ſpatium mirabiliter
 immutat.

Eſt etiam aliud in hoc ope-
 re mirabilius. Sicut enim mare
 tunc potiſſimum furit, quum
 immitioribus ventis fuerit agi-
 tatum: ita etiam hoc internum
 mare, quum variis hominum
 injuriis & offenſionibus tam-
 quam immitioribus ventis infe-
 ſtatur; tunc rabies irarum & o-
 diorum, & flagrans vindictæ

T 4

cu-

(a) Pſalm. 113. 7. (b) Iſai. 8. 1.

tupiditas acrius sæviunt, & turbulentas excitant procellas. Quum autem sancti ne hac quidem occasione a statu & tranquillitate mentis suæ depellantur, quin potius sæpe in ipsa calamitate latentur, & ipsam maris inundationem quasi lac sugant; dici non potest, quanta hac in re divinæ virtutis admiratione, quantaque animi lætitia afficiantur. Sic enim illis contigit, quos Apostolus ait, (a) rapinam bonorum suorum cum gaudio suscepisse: & iis etiam, de quibus ad Corinthios scribit: (b) *notam vobis facio, fratres, gratiam Dei, quæ data est in ecclesiis Macedonia: quoniam in multo experimento tribulationis, abundantia gaudii ipsorum fuit.* Hoc est autem, quod propheta jure miratur, quum ait: (c) *Statuit procellam ejus in auram, & siluerunt fluctus ejus. Et lætati sunt, quia siluerunt; & deduxit eos in portum voluntatis eorum.* Non contentus enim Dominus procellam sedasse, quod magnum plane beneficium est, quiddam adhuc majus & mirabilius addit, quod procellam ipsam in secundam auram commutavit. Quod plane facit, quum ipsam calami-

tatis amaritudinem in dulcedinem vertit. Quam rem hoc in loco Apostolus significavit, quum magnam illam Macedonum tribulationem ingentis gaudii materiam illis præstitisse ait. Hoc autem quo nam modo fiat, sæculi homines ne suspicari quidem possunt. Quis autem non videat, quantum hoc divinæ virtutis & gratiæ, hominis mentem corroborantis, argumentum sit? Quam rem philosophos etiam aliqua ratione præsensisse, ostendit Seneca his memorabilibus verbis: „ si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicem, in mediis tempestatibus placidum, ex superiori loco homines videntem, ex æquo Deos, non subiit te veneratio ejus? non dices, ista res major est altiorque, quam ut credi similis huic, in quo est, corpusculo possit? Vis isthuc divina descendit. Animum excellentem, moderatum, omnia tamquam minorum transseuntem, quidquid timentis memus optamusque ridentem, cælestis potentia agitat. „ Hactenus ille.

§. III.

Hæc igitur, quæ intra se pii ho-

(a) Hebræor. 10. 34. (b) 2. Corint. 8. 1. 2. (c) Psalm. 106. 29. 30.

homines quotidie experiuntur, sic ipsorum fidem confirmant, illuminant & accendunt, ut illis instar miraculorum, fidem confirmantium, immo supra miracula sint. Multi enim, plurimis inspectis miraculis, in perfidia sua obcæcato animo perstiterunt: at quisquis hanc Dei virtutem in se expertus est, miro modo in fidei veritate solidatur. Hæc autem admiranda opera & beneficia Dei non oscitanter & segniter spectari propheta volebat, quum, mortales omnes ad hoc spectaculum convocans, diceret: (a) *venite & videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominum. Qui convertit mare in aridam; in flumine pertransibunt pede, ibi letabimur in ipso.* An non ergo merito latentur in Deo, quibus (b) in aquis validis tribulationum terra apparuit arida, & in mari rubro via sine impedimento; quando videlicet ipsi eis fluctus tribulationum, materiam præbent gaudiorum? Mirabile quidem fuit, (c) maris fluctus Deum compressisse: sed non minus mirabile est, humani cordis rabiem & impetum sedasse, & inter calamitatum & persequutionum turbines placida & tranquilla

mente constitisse. Quod quidem regius propheta beneficio Domini sibi contigisse testatur his verbis: (d) *in terra deserta, in via & in aquosa, sicut in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* Quem locum interpret quidam sic explanat. Quum a facie Saül profugus, & exsul patriæ domo, in hac vasta & inculta solitudine inopem & vagam vitam persequor, nihilo minus tamen ita te, Domine, coram intueor, ac si in sanctuario tuo essem: atque præsentium numine tuo hoc in loco reclusus & adjutus contemtor admirabilem potentiam & misericordiam tuam, quam quotidie in me, ab impendentibus malis eripiendo, meumque animum confirmando, quotidie experior. Itaque quum vir sanctus ait, se, perinde quasi in templo esset, contemplari gloriam Dei, & vim ejus salutarem; hoc intelligit in primis: quamquam longe absit a sollempni cœtuum piorum, pulsus ab iniquo rege in desertas & incultas solitudines; non tamen eam rem impedire, quo minus suavissima voluptate porietur, & pietatem suam alat in potentia & misericordia Dei contemplanda.

(a) Psalm. 65. 5. 6. (b) 2. Esdræ 9. 11. (c) Exod. 14. 21. (d) Psalm. 62. 3.

da. Quæ duæ res in maximis calamitatibus potissimum elucet, dum vir pius undique premitur, sed non opprimitur; cadens robustior surgit; in luctu & mæore, gaudio triumphat; egentissimus est, & omnia possidet; quotidie in media morte versatur, & tamen viget ac floret. Quæ quum geruntur, ille bonitatem Dei, & vim ejus præpotentem, non cogitatione modo complectitur, sed, ut ita dicam, manibus attingat, atque ex ea re admirabilis quædam in animo ipsius exardescit amoris magnitudo erga clementissimum numen: ut non male sentire videantur, qui affirmant, Deum in rebus adversis amabiliorem existere, quam in prosperis. Quod ita esse, David quoque in maximis periculis versans suo testimonio comprobatur, cum subjungit, (a) misericordiam Dei vita ipsa optabiliorem esse. Quæ verba ex animo dicere non potest, nisi expertus: experiendum autem est potissimum in ipsa calamitate.

§. IV.

His igitur, multisque aliis similibus argumentis, fratres, quibus fidei lumen a Deo profectum, rationis quoque lumine, quod ab eodem fonte di-

manat, Deo cooperante illustratur & confirmatur, pii homines in fide catholica roborantur: cujus nos dogmata mirro modo ad pietatis & justitiæ cultum inducunt. Sic enim illi philosophantur: si fides nostra tantum habet firmitudinis & veritatis, verissima ergo & firmissima ea sunt, quibus nos ad timorem Domini, & veram religionem provocat. Verissimum est, Deum rerum humanarum curam gerere, & bonorum atque malorum habere delectum. Verissimum est, nihil nos agere, nihil moliri, nihil cum animo nostro cogitare, quod non sit divinæ sapientiæ oculis subiectum, qui intimos etiam animi recessus penetrat. Verissimum est, futurum extremum judicii diem, in quo totius vitæ nostræ, omniumque actionum, ad verbulum usque otiosum, (b) reddenda sit ratio. Verissimum est, piis inestimabiles in cælo opes atque delicias esse paratas, horrendaque & in æternum duratura supplicia reprobis in gehenna constituta. Verissimum est, animas non interire cum corporibus, sed ubi primum a corpore solutæ fuerint, nisi aliquid purgandum super sit, operum suorum mercedem a justo iudice Deo, qui red-

(a) *Psalms. 62. 4.* (b) *Matth. 12. 36.*

reddet unicuique juxta opera sua, esse percipitur. Harum enim rerum fides, quo magis viva & incensa est, magisque roborata, eo secundiora virtutum germina profert. Sicut enim stomacho repleto, a quo alimentum ad totum corpus derivatur, cetera quoque membra per illum repleta vigent: ita fide aucta, & novis splendoribus illustrata, ceteræ quoque virtutes, quarum ipsa fundamentum est, majora capiunt incrementa. Ab hoc enim fonte omnia illa virtutum opera, quæ Apostolus ad Hebræos (a) longa oratione enumerat, prodierunt. Abraham enim (b) patriam & genitale solum iussus a Deo reliquit, ut iret quo nesciebat. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, hoc est, immobilem & æternam in cælis, cujus artifex & conditor est Deus. Et Moses luxum atque opes Pharaonis contempsit, majores asstimans divitias, (c) *improperium Christi, thesauro Egyptiorum*; fide enim adspiciebat in remunerationem. Fides itaque promissionum Dei eos ad labores, & ardua quæque virtutum opera vehementer acuebat. Qua de causa eandem nos Apostolus (d)

omnibus in rebus tamquam impenetrabile scutum arripere præcipit, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere. Quum enim ille flatu suo, quo prunas ardere facit, cupiditates nostras, per se ad malum accensas, vehementius inflamat, & voluptatis hujus ardore ad inconcessa rapere nititur; præsto sit fides, quæ inexstinguibiles gehennæ flammæ, sceleratis hominibus paratas, & ineffabiles cælestis regni delicias, victoribus constitutas, & rosea Christi vulnera sanguine manantia, ceteraque ejus beneficia ob oculos ponat, quo harum rerum contemplatione voluptatem repudiemus momentaneam, ne felicitatem amittamus æternam.

Qua in re salutare consilium omnibus pie in Christo vivere volentibus in medium afferam, quo omnes diaboli fraudes & machinas superare valeatis. Id vero est, ut quemadmodum prudentis judicis est, numquam aliquid in causa pronuntiare, nisi utrumque litigantem audierit; ita numquam homo aliquid in cordis sui tribunali definiat, nisi utraque deliberationis parte diligenter examinata. Si quis enim alteram libræ lan-

cem

(a) *Hebræor. 11. 1. seqq.* (b) *Genes. 12. 4.* (c) *Hebræor. 11. 26.* (d) *Ephes. 6. 16.*

tem levi etiam pondere oneret, in altera vero nihil apponatur; non certum est, eam, quæ onerata sit, deiciendam, alteram vero in sublime tollendam? Utraque ergo suis ponderibus libranda est, si justitiæ mensuram retinere velis. Hac porro similitudine adversus omnes diaboli tentationes uti commodissime poteris. Subjiciamus aliquot hujus rei exempla. Si tibi dæmon carnis delicias & voluptates amplificat, tu in altera libræ lance voluptatibus istis constituta supplicia appende, quæ Dominus in Apocalypsi definit, quum ait: (a) *quantum glorificavit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*. Et illud item: *momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat*. Adde his etiam celebrem illam philosophorum non immerito a multis laudatam sententiam: *si quid feceris honestum cum labore, labor abit, & honestas manet: si quid turpe cum voluptate, voluptas abit, turpitudine manet*. Rursum, si tibi dæmon, terrena lucra exaggerans, ad fraudes & rapinas trahere nititur, illam Apostoli comminationem tibi ante oculos pone. (b) *Hoc autem scitote intelligen-*

tes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hoc enim venit ira Dei in filios diffidentia. Hanc item fraudem D. Gregorius in epistola quadam detegit; in qua nobilem quemdam virum a direptione alienæ facultatis liberare nititur, prudenter illum admonens, pecuniam quidem se in hoc mundo relicturum, crimen vero alienæ rei ablatae secum in alium mundum delaturum.

Ad hæc, si te dæmon, virtutis & pœnitentiæ labores exaggerans, ab ejus studio deterere, & ad voluptates & carnis delicias adducere tentet; tu contra, hanc illi ejusdem Salomonis sententiam objice: (c) *propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei*. Rursum, si te ad perditorum hominum vitam tamquam placidam & jucundam traducere velit, tu ejus mendacium illa Ecclesiastici sententia coargue: (d) *via peccantium complantata est lapidibus, & post hæc inferi, & tenebrae, & pœna*. Considera etiam ingentes ejus vitæ curas & mole-

(a) Apocalyp. 18.7. (b) Ephe. 5.5.6. (c) Prov. 20.4. (d) Eccli. 21.11.

lestias: hoc est, iracundiæ furorem, invidiæ rabiem, odii acerbitatem, comessationum temulentiam, ambitionis contentionem, cupiditatum inexplebilem sitim, avaritiæ mendicitatem, variosque gulæ & luxuriæ morbos, infamiam, dedecus, ceterasque improborum hominum curas & cruciatus expende. Verissime enim a propheta dictum est: (a) *contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt*. Præterea si te ad fastum & superbiam, & immodicos sumptus inducere velit; tu contra, illud Jeremiæ respondebis: (b) *audivimus superbiam Moab: superbus est valde: superbia ejus, & arrogantia ejus plus quam fortitudo ejus*. Et illud ejusdem: (c) *quia plus fecit, quam potuit, idcirco perierunt*. Quod quidem vitium hac nostra ætate cunctorum fere nobilium commune

est; quo non se ipsos modo, sed heredes etiam suos, magno ære alieno oppressos, in gehennam præcipitant. His ergo rationibus, fratres, fidei clypeum arripientes, omnia tela inimici ignea illidere poterimus: atque ita demum, fidei præsidio muniti, dignos fidei, quam profitemur, fructus proferemus. Qui autem secus faciunt, nequam illum servum imitantur, qui Domini sui pecuniam in terra defodiens, frustra illam sine ullo emolumento retinuit: qui vero fidei dogmatibus, divinisque oraculis hoc modo utuntur, hi plane talentum, sibi creditum, Domino suo duplicatum referunt, æternam pro illo mercedem percepturi, & a Domino audituri: (d) *euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui*.

AD LECTOREM.

HOC in loco pium concionatorem admonitum volui, utramque concionis hujus partem, ac præcipue posteriorem, in eo quoque evangelio tractari commode posse, in quo ascendente Domino in naviculam, & dormiente, magna il-

la tempestas excitata est, quam ipse, ventis atque mari imperans, divina virtute sedavit. Maris quippe tempestas, ecclesiæ persecutionem; tempestatis vero sedatio, mirabilem Christi Domini virtutem atque triumphum designat.

IN

(a) Psal. 13.3. (b) Jerem. 48.29. (c) Ibid. v.36. (d) Matth. 25.21.